



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Dionysii Carthusiani, luculenta iuxta ac compendiaria in Acta apostolorum exegesis siue commentaria**

**Dionysius <Cartusianus>**

**Coloniæ, 1532**

**VD16 D 1926**

Explanatio 7 cap. Dixit autem. art. 7

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38702**



IN ACT. APOS. EXEG.  
angeli .i. splendidissima claritate ac miro decore per-  
fulam, per quod internæ perfectionis magnitudo, pu-  
ritas & innocentia monstrabatur. In quo Moyfi parifi-  
catus est Stephanus. Nam & Moyfi vultus præ splen-  
dore a ludæis aspicere non valebat. In tali autem & tan-  
ta maiestate ostendit deus ludæis Stephani vultum, vt  
conuerterentur ad veritatem si vellent, aut si nollent,  
de sua obstinatione inexcusabiliores ac damnabiliores  
redderentur. Porro in scripturis canonicis non legitur  
homo, vultum huiuscemodi habuisse in terra coram ho-  
minibus nisi Christus in transfiguratione, & Moyses  
ac Stephanus, in quo magna valde Stephani excellen-  
tia innotescit.

¶ Elucidatio capituli septimi. Dixit  
autem.

### Articulus septimus.

**D**ixit autem princeps sacerdotum, si hæc ita se ha-  
berent. ¶ Quoniam accusato dandus est locus excusa-  
tionis, & responsionis, princeps sacerdotum tanquam iu-  
dex sciscitatus est Stephanum, an in sibi obiectis esset  
culpabilis. ¶ Qui ait: Viri fratres & patres audite. ¶  
Sanctus Stephanus respondens verbis modestis ac blandis  
in exordio usus est, quia vt scribitur in Prouerb. Re-  
sponso mollis frangit iram. ¶ Deus gloriæ apparuit  
patri nostro Abraham. ¶ Quatuor obiecta fuerunt Ste-  
phano. scilicet blasphemia in deum, in Moysen, in legem, in  
templum. Ideo de his quatuor se excusat, & primo de  
blasphemia contra deum, quem deum gloriæ nuncu-  
pat, quia in ipso est beatitudo & gloria infinita, & ab  
ipso vita gloriæ profluit. Ipse quoque est maiestatis immen-  
sæ, apparuit autem Abraham per subiectam creaturam. scilicet an-  
gelum. ¶ cum esset in Mesopotamia. ¶ quæ est regio sic di-  
cta, quia media inter aquas sita est, inter fluuios videlicet  
Euphratem, & Tigridem. ¶ priusquam moraretur in  
Charram. ¶ quæ secundum Bedam est vrbs regionis Meso-  
potamiæ, & in Genesi dicitur Aran. ¶ & dixit ad illum.  
Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram

Prou. 15.

Gene. 11.



quam mōstrauero tibi. s. in terrā Chanaan. Circa hoc dubia oriuntur. Abraham nanq; oriūdu fuit de Chaldæa, & inde venit in prouinciam Mesopotamiæ, deinde in ciuitatem illius, nomine Charram. Quomodo ergo ei de terra sua iam egresso, atq; in aliena posito, dicitur, exi de terra tua? Iterum in Geneseos libro legitur, quod Abraham cum patre suo Thare habitauit in Aran quæ alio nomine dicitur Charrā, & mortuo ibi ipso Thare patre Abrahæ, dominus illi præcepit, egredere terra tua, &c. Ad primum respondetur tripliciter. Primo secundum Bedam & Scholasticam historiam, quod licet iam egressus fuerat de Chaldæa corpore, nō tamen mente, quia adhuc tenebatur spe ac desyderio redeundi. Idcirco præcipitur ei vt etiam mente egrediatur de ea, vt. s. non proponat in eam reuerti. Secundo iuxta Augustinum, quod Mesopotamia est pars Chaldææ, & ita non fuit de tota Chaldæa egressus, sed de vna eius parte introiit aliam, nunc ergo iubetur totā relinquere. Tertio, vt quod dicitur exi de terra tua, sic exponatur. i. longius discede ab ea. Ad aliud respondetur quod vel bis iussum est Abrahæ exire de terra cognationeque sua, videlicet semel ante mortem patris sui, & tunc ex causa rationabili distulit, forte vt patri suo tanquam seni pro solatio, & exhibendo obsequio maneret coniunctus. Secundo post patris sui dormitionem. Vel vt aliqui dicunt, hoc quod dicitur, exi de terra tua per anticipationem est dictum. Denique in hoc præcepto Abrahæ facto, mysterialiter præfigurabatur, quod Christus postea p seipsum cōsuluit, vt. s. propter ipsum omnia relinquatur, etiam parentes, fratres sorores, &c. Tunc exiit de terra Chaldæorū. s. secundum varium sensum nunc tactum. s. longius discedendo ab ea, vel partem eius deserendo. & inde habitauit in Charram. Et inde postq̄ mortuus est pater eius. Thare in Charram cum esset ducentorū quinq; annorū, vt dicitur in Genesi. i. transtulit. i. i. re pcepit. illum in terram istam, in qua vos nunc habitatis. q̄ dicitur terra promissionis. Et non dedit illi hæreditatem in

Gen. 11

Gene. 12.



- ea nec passum pedis ] id est, nec minimam partem. Nec obest quod in Genesi scribitur Abraham emisse speliicam cum agro, nam hanc partem in titulo habuit emptionis
- Gene. 23.** pro sepultura, non hæreditate possedit ad colendum aut habitandum ] sed repromisit dare eam illi in possessionem, & ] pro id est ] semini eius ] Illis videlicet qui cum Iosue terram istam ingressi sunt ] cum non haberet filium ] id est, ante natiuitatem Isaac, imo & Ismaelis, Et hoc quod ad promissionem primo factam. Sæpius enim ei istud promisit, sed prima scribitur Genesis. 12. longe ante Ismaelis generationem. Vbi cunq; autem in Genesi legitur deus promisisse Abraham, vel Isaac aut Jacob, quod eis hanc terram daret, referendum est ad posteritatem ipsorum. ] Locutus est autem ei deus ] per angelum ] quia erit semen tuum accola. ] i. filij tui peregrini erunt & aduenæ ] in terra aliena ] scilicet in regione Chanaan, & Egypti ] & seruituti eos subiiciet & male tractabunt annis quadringentis triginta ] Vñ
- Gene. 15.** legitur dominus locutus ad Abraham. Scio prænosces, quod peregrinum futurum sit semen tuum & seruituti eos subiicient & affligent quadringentis annis, Porro hos quadringentos triginta annos computat Rabanus a die quo facta est ista promissio Abraham, vsque ad exitum de Aegypto. Quadringentos vero annos nonnulli incipiunt a natiuitate Isaac, vsq; egressum Israel de Aegypto, Aliqui vero quia dictum est Abraham, in Isaac vocabitur tibi semen, computant istos quadringentos annos, a natiuitate Isaac vsque ad mortem Seon regis Amorreorum, & Og regis Basan. Præterea quauis dictum sit, quod filij Israel aduenæ forent in terra aliena, & seruituti subiiciendi ac male tractandi, non tamen sensus est, quod toto hoc tempore fuerint in huiusmodi afflictione, sed pars pro toto est posita, aut econuerso. Nam pro parte quadam huius temporis fuerunt afflicti in terra Aegypti. ] & gentem cui seruerint ] puta Egyptios ] iudicabo ego ] iudicio punitionis & condemnationis ] dicit dominus ] nam submersit eos in mari rubro, & statuit in



inferno. ¶ & post hæc exhibunt ¶ de Aegypto seu eremo ¶ & deseruiet mihi in loco isto ¶ scilicet in Iudæa quod tempore Iosue inceperunt ¶ et dedit illi ¶ videl. Abrahæ ¶ testamentum ¶ id est, pactum ¶ circumcissionis ¶ dicens. Hoc est pactum meum quod obseruabitis ¶ Circumcidetur ex vobis õne masculinum ¶ & sic genuit Isaac cum esset centum annorum ¶ vt scribitur in Gene. si. Erat autem nonaginta nouem annorum cum pactum circumcissionis accepit ¶ & circumcidit eum octauo die ¶ sicut in Genesi habetur. ¶ Et Isaac ¶ genuit ¶ Iacob, & Iacob duodecim patriarchas. Et patriarchæ emulantes ¶ id est, inuidentes ipsi ¶ Ioseph ¶ quia a patre plus amabatur, & somnia quædam eis displicentia vidisse se eis narrauit ¶ vendiderunt eum in Aegyptum ¶ .i. Ismaelitis negotiatoribus in Aegyptum pgetibus secumq; ducentibus atq; ibidem venditibus Ioseph. Non tñ oēs patriarchæ duodecim id fecerunt, qa nec Benjamin adfuit neq; Ruben. ¶ Et erat deus cum eo ¶ per gratiam magnam, & prouidentiam singularem ac gratiosam ¶ & eripuit eum ex omnibus tribulationibus suis ¶ scilicet, de manibus fratrum, & Aegypti qui eum incarcerationi. Vnde in Sapientia libro legitur. Hæc, scilicet, sapientia diuina veditum iustum non dereliquit sed a peccatoribus liberauit eum ¶ & dedit ei gratiam & sapientiam, in conspectu Pharaonis regis Aegypti ¶ Nam ex diuina reuelatione exposuit somnia Pharaonis, sicut Daniel somnia regis Babylonis ¶ & constituit eum præpositum super Aegyptum, & super omnem domum suam ¶ id est, familiam atque substantiam, dicens ad eum Genes. 41. Vno tantum regni solio te præcedam. ¶ Venit autem fames in vniuersam Aegyptum & Chanaan, & tribulatio magna. ¶ Nam has duas regiones fames illa maxime opprimebat: quæ omnia in Genesi plenius scripta sunt ¶ & non inuenerunt cibos patres nostri ¶ in terra qua habitabant. ¶ Cum autem audisset Iacob frumentum esse in Aegypto, misit patres nostros ¶ id est, decem patriarchas Benjamin secum retento ¶ primū ¶ id est, prima vice ¶ & secundo ¶ .i. secunda eorum missione in

Gene. 17.

Gene. 21.  
Gene. 21.

Gene. 36.

Sapient. 10.

Gene. 41.

Gene. 42.



IN ACT. APOS. EXEG.

- Aegyptum pro victualibus emendis [cognitus est Ioseph a fratribus suis] quia tunc dixit eis. Ego sum Ioseph [ & manifestatum est Pharaoni genus eius ] .i. cognatio. Tunc enim in aula regis celebri dictum est sermone. Venerunt fratres Ioseph. [ Mittens autem Ioseph ] fratres suos, cum plaustris & asinis, multisq; diuitijs [ accersuit patrem suum ] per istos denunciās vt veniret ad se [ & omnem cognationem suam in animabus ] .i. hominibus [ septuaginta quinque ] Gen. 46. habetur. Cunctæ animæ q̄ ingressæ sunt cum Iacob in Aegyptum, & egressæ ex fœmore illius absq; vxorib. filioꝝ sexaginta sex. Et in Exodo. Erant oēs animæ eorum qui egressi sunt de fœmore Iacob, septuaginta. Sed Lucas sequens interpretationem septuaginta ponit septuaginta quinque per anticipationem connumerans quinque nepotes Ioseph. Quibus omnibus si addatur ipsemet Iacob & filius eius Ioseph cum duobus filijs eius Effraim & Manasse habentur septuaginta quinque [ & defunctus est ipse ] Iacob in Aegypto [ & patres nostri ] .i. duodecim patriarchæ ibidem [ & translati sunt in Sychem, & positi in sepulchro q̄d emit Abraham p̄cio argenti a filijs Emor filij Sychem ] Gen. 33. scriptum est quod Iacob emit partē agri a filijs Emor patris Sychem centum agnis. Fuitque ager iste iuxta Salem urbem Sychimorum. Porro in Genes. legitur, q̄ modo Abraham emit ab Ephron filio Seor Ethæo, speluncam duplicem vna cum agro in quo fuit iuxta Hebron quadringentis argenti siclis. Quomodo ergo nūc dicitur, quod Abraham emit sepulchrum a filijs Emor & quomodo Emor vocatur hic filius Sychem, cum in Genesi appelletur pater ipsius Sychem? Itaque intuentium q̄d Iacob sicut in Genesi scribitur fuit cito post mortem suam in spelunca duplici positus. Ioseph vero tempore Iosue in Sychem, & in eodem loco secundum Hieronymum sepulti fuerūt alij patriarchæ, delatis eorum ossibus ex Aegypto, quamuis in Genesi, non legitur. Postea autē positi sunt in sepulchro q̄d emit Abraham. Vez̄ quod in litera dicitur, a filijs Emor filij Sychem,
- Gene. 1**
- Exod. 1.**
- Gene. 23**
- Gene. 23**
- Gene. 23**



refertur ad verba precedentia scilicet translati sunt in Sychem. Vt sit sensus, quod translati sunt in Sychem emptam a filiis Emor, a quibus Iacob emit hunc agrum Sychem. Quod autem Emor dicitur hic filius Sychem, & in Gen. pater Sychem, concordatur, quia frequenter contingit, quod aliquis habeat patrem & filium eodē nomine appellatos. Hæc in Scholastica historia plenus scripta sunt. Cum appropinquaret autem tempus repromissionis quam confessus J. i. protestatus fuit deus Abraham J. i. proximante tempore quo implendum fuit quod deus Abraham prænuñciauit de educatione posteritatis suæ ex Aegypto, & introductione in terram promissionis creuit populus Israel & multiplicatus est in Aegypto iuxta id Exodi; Filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, & roborati nimis impleuerunt terram quoadusque rex alius surrexit in Aegypto q non sciebat Ioseph J. i. quã bona Aegyptiorum regi populocq; pstitit. Rex iste sub quo natus est Moyses non fuit de semine regis Aegypti qui constituit Ioseph sup Aegyptum, vt Iosephus scribit. Et vt aliqui dicunt octauus fuit post illum. Hic circumueniens genus nostrum J. i. populum Israel callide opprimens, iuxta quod ait in Exodo. Venite sapienter opprimamus eum afflixit p̄ses n̄ros crude li p̄cepto vt exponerent infantes suos J. i. ab obstetricibus eos occidi pmitteret, vel in flumen p̄icerent, aut p̄ijci sinerent ne viuificarent J. i. ne infantes isti manerent viuentes, & p hoc populus Israel inualeceret. Pri mo q̄ppe p̄cepit obstetricibus vt infantes masculos Hebræoz necarent. Quibus id ex timore dei non exequē tibus, iussit Pharao oī populo suo, vt qcqd masculinū sexus gignerent cōiuges Hebræoz in flumine proijcerent, vt in Exodi libro habet. Et q̄niam sc̄t ūs Steph. ac cusabat quasi obloquens Moysi, consequenter ad eius cōmendationem descendit Eodem tpe natus est Moyses Idurante. s. p̄cepto occidendi paruulos Hebræoz & fuit gratus deo J. i. acceptus, nō ex p̄rijs meritis, sed ex dei bonitate tãq̄ eternalit̄ p̄destinatus, atque ad

exod. 2

exod. 1

exod. 2



IN ACT. APOS. EXEG.

- plurima opera bona agenda præordinatus. [ Qui natus est in domo patris sui tribus mensibus ] videntes enim parentes eius pulchrum & elegantem eum esse infantem, miserunt ipsius cum periculo contra regis edictum conseruauerunt eum in vita & absconderunt [ Exposito autem illo ] .i. in flumen proiecto & posito in vasculo quodam, iuxta id Exodi. Cumque iam celare non posset. s. mater eius eum, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice, posuitque intus infantulum, & posuit eum in carecto ripe fluminis [ sustulit eum filia pharaonis ] .i. uisa enim fiscella iussit vnicillarum vt illam sibi afferret. Qua aperta & reperi to infantulo, miserta eius dixit. De infantibus Hebræorum hic est. [ Et enutriuit eum sibi in filium ] Commisit enim matri Moyse vt eum nutrirer, & adultum sibi. s. filie Pharaonis referret, quo facto adoptauit eum in filium. Hæc aut Exodi. 2. plenius recitantur. [ Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum ] .s. in naturali philosophia & astronomia. Studium autem philosophiæ, primo viguit in Aegypto [ & erat potens in verbis, & in operibus suis ] .i. sapiens in loquendo, & fortis in operando. Et quia hic dicitur quod erat potens in verbis, Origenes asserit, quod eloquens fuit, & quod in Exodo Moyses impeditioris linguæ se esse testatur, soluit per hoc, quod tunc ineloquentem se dixit, cum deum sibi audiuit loquentem, cuius comparatione omnis rationalis creatura consistit ineloquens. Alii probabilius aiunt quod fuit linguæ impeditæ, nunc tamen potens in verbis fuisse asseritur, non ob promptitudinem expressiue, sed ob discretionem in differendo.
- [ Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ei<sup>9</sup> vt visitaret fratres suos filios Israel ] in terra gessen, vt in molestissima seruitute positos consolaretur. Cõdoluit enim eis tanquam pessimus. [ Et cum vidisset quendam Hebræum iniuriam patientem ] ab Aegypto [ fecit ultionem ei qui iniuriam sustinebat percusso Aegypto ] .i. iniuriam Hebræi ultus est, interficiendo iniuriantem Aegyptium.



In quo facto aliqui dicunt eum peccasse. Alij vero affirmant quod non, quia iam deo reuelante cognouit quod liberaturus esset filios Israel de Aegypto, sicq; cognouit se constitutum a deo defensorem populi Israel, secū dum quod subditur. ¶ Existimabat autem intelligere fratres. ¶ Iputa Hebræos ¶ quod deus per manum ¶ .i. ministerium & virtutem ¶ ipsius daret salutem ¶ .i. liberationem de manibus Aegyptiorum præstiturus esset ¶ illis ¶ .s. Hebræis. ¶ At illi non intellexerunt ¶ .i. nō considerauerunt hoc. ¶ Sequenti vero die ¶ vel immedie, vel mediate post diem quo occidit Aegyptium ¶ apparuit illis litigantibus ¶ .i. duobus Hebræis inter se rixantibus ¶ & reconciliabat ¶ .i. pacificare conatus est ¶ eos in pace dicens. Viri, fratres estis ¶ quia de eodem semine Abrahamæ Isaac & Iacob. ¶ Ut quid nocetis alterutrum? ¶ Quasi dicat: Cum fratres sitis, vnus alteri bene facere obligatur. Iniustum est ergo quod vnus alium lædit. Hoc & Christianis quibuslibet præsertim religiosiis, & clericis inter se contendentibus est dicendum. ¶ Qui autem iniuriam faciebat proximo suo ¶ Hebræo ¶ repulit eum dicens. Quis te constituit principem aut iudicem super nos? Tanquam dicat. Cur quod ad te non spectat præsumis, atq; indebitam tibi auctoritatem vsurpas? Ecce quam peruersus fuit hic homo, qui charitativam increpationem tam grauitè tulit, & pie arguentem redarguit impie, similis vtique Sodomitis, qui Loth eos leuiter increpanti locuti sunt. Ingressus es vt aduena, nunquid vt iudices? ¶ Nunquid interficere tume vis quemadmodum interfecisti heri Aegyptium? ¶ Huic prauissimo homini assimilantur qui secreta alicuius propalant ex passione, cum admonentur, reprehenduntur, seu iuste puniuntur ab eo. ¶ Fugit autem Moyse in verbo isto ¶ .i. audito hoc verbo & cognito quod Pharaos id pcepisset, qui & voluit occidere Moysen. Fugit ¶ & factus aduena in terra Madian ¶ habitans ibi cum Ietro sacerdote Madian vbi genuit duos filios. s. Gersan, & Eltezer de Sephora filia Ietro. ¶ Et expletis annis quadraginta, a tempore fugæ præ-

exodi. 2.

exod. 9

exod. 2

exod. 2

exodi. 2



IN ACT. APOS. EXEG.

fata apparuit illi in deserto montis Sinai ] quia in illa solitudine situs est mons Sinai . Cum enim minasset Moyses gregem quem pavit ad interiora deserti, & venisset ad montem dei Oreb (videlicet Sinai. Nam pes montis dicitur Oreb, summitas vero Sinai, & interdum vnum pro alio ponitur) apparuit ei ] angelus ] tamen in persona dei, & in eius persona loquens ad Moysen. Idcirco in Exodo scribitur, quod dominus ei apparuit ] in igne flammæ rubi ] quia de medio ignis quo rubus videbatur opertus, angelus Moysi loquebatur. Ideo quoque in igne apparuit, quia (vt diuinus Dionysius edocet) ignis maximam habet convenientiam cum spiritualibus rebus . Vnde suo splendore ac simplicitate, angelicæ naturæ puritatem & sapientiã signat. Et rursus ob id in igne splendente non nocente nec comburente rubum apparuit, ad insinuandum quod filij Israel in igne tribulationis quem in Aegypto patebantur purgarentur non consumerentur. ] Moyses autem videns ] rubum igne opertum ] admiratus est visum. ] .i. rem visam cur .s. rubus igne non læderetur, & faciliter inflammatur. ] Et accedente illo vt consideraret, facta est ad eum vox dñi ] p̄ angelum loquentis, ] dicens. Ego sum deus patris tuorum, deus Abraham deus Isaac, & deus Iacob. Tremefactus autem Moyses ] lex al locutione insolita, tubali, angelica, & ex p̄sentia maiestatis diuinæ. Tales enim visiones & alloquutiones maximam patiunt alterationem in mēte & corpore ] nō audebat considerare. ] .i. rubum seu ignem illum aspicere, tanquā stupidus factus . Nam & tales alterationes primo impediunt vsum rationis, donec gratia confortetur, quæ admodum patet in Daniele. Propter quod Ezechiel dominus ait . Sta sup pedes tuos & loquar tecum. ] Dixit autem illi deus. Solue. ] .i. exue & depone ] calceamenta pedum tuorum. ] cuius ratio subditur ] locus enim in quo stas terra sancta est. ] .i. sanctificata, seu ad aliquid sanctum deputata p̄pter p̄sentiam dei seu angeli, & quia in loco isto aliqua sanctissima opa erant paulo post diuinitus peragenda, quando scilicet in monte Sina data

exodi. 3

exod. 3

exod. 3

Danie. 8.

exod. 3



est lex. Et vsque in præsens est ibi locus cultus diuinũ  
 & religiosorum cornubiũ. Fuit autem vt dicitur anti-  
 qs & præsertim Hebræis consuetudo non ingredi loca  
 sancta, nisi pedibus nudis, quod nunc usq; Saraceni ob-  
 seruare dicuntur. Insup dominus ait. Videns vidi. **L**  
 oculo misericordiæ **L** afflictionem populi mei q est in  
 Aegypto. **L** q fuit populus dei non solum p creationem  
 vt cæteri, sed & p electionem. Ista vero ingeminatio  
 in loquendo qua dicitur. Videns vidi, consueta & fre-  
 quens est in scripturis veteris testamenti **L** & gemitũ  
 eorum audiui. **L** i. cognoui **L** & descendi liberare eos. **L**  
 Angelus aut hęc proferens ye localiterq; descendit.  
 Deo autem cum incircumscripibilis inuariabilisq; cõ  
 sistat non competit localiter descendere nec moueri se-  
 cundum se, sed ratione sui effectus hęc at q; similia ei  
 a tribuuntur. Nam quis vbique sit, ibi tamen speciali-  
 ter esse dicitur, vbi specialiter opatur. **L** Et nunc veni. **L** men-  
 tali accessu, p obedientiam te mihi subdendo. **L** mittam  
 te in Aegyptum. **L** ad educendum inde filios Israel. Hęc  
 in Exodo plenius enarrantur. **L** Hunc Moysen quem  
 negauerunt dicentes, quis te constituit principẽ aut iu **exodi. 7.**  
 dicem super nos, **L** supra iam dixit quod vnus eum ne-  
 gavit, nunc vero pluraliter ait, quem negauerunt, aut  
 ergo nunc ponitur singularis numerus pro plurali, si-  
 cut frequenter fit in scripturis, aut vnus ille complices  
 habuit & fautores, q idem cum ipso verbis signis seu fa-  
 ctis dixerunt. **L** Hunc deus principem. **L** Israeliticæ ple-  
 bis **L** & redemptorem. **L** eorum de seruitute Aegypti  
**L** misit cum manu. **L** i. potestate & cooperatione. **L** an-  
 geli qui apparuit illi in rubo. **L** Itaque angelus ille in  
 omnibus affuit Moysi, & forte fuit Michael, q princeps  
 exitit Synagogæ, vel alius angelus eius representans  
 psonam. **L** Hic. **L** Moyses. **L** eduxit illos. **L** videlicet filios  
 Israel de Aegypto. **L** faciens signa & prodigia in terra  
 Aegypti, in mari rubro, & in deserto annis qdragin-  
 ta. **L** q in libro Exodi. Leuitico, & Numeror; copiose cõ **Exod. 16.**  
 scripta sunt. **L** Hic est Moyses q dixit filiis Israel. Pro- **Num. 32.**  
 phetã vobis suscitabit de fratribus vestris, tanq me-



IN ACTA APO. EXEC.

- ipsum audietis. ] Hanc auctoritatem supra capitulo. 3. sanctus Petrus induxit. Estque ibidē exposita. ] Hic ] Moyses ] est qui fuit in ecclesia ] id est, collectione populi Israel deum colentis : Quamuis autem communiter ecclesia a Synagoga distinguatur, ita ut Christianorum collectio nuncupetur ecclesia, vicissim tamē etiam
- 3. Reg. 3.** Iudæorum congregatio appellatur ecclesia. Ut tertio Regum. Benedixit Salomon omni ecclesiæ Israel ] in solitudine ] quam perambulauerunt filij Israel. 40. annis ] cum angelo qui loquebatur ei in monte Sinai ] tam ante educationem Israel ex Aegypto, quam postea in legis latione ] & cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ ] id est, sacram scripturam ] dare nobis ] Vel verba vitæ, sunt legis præcepta. Per obseruantiam aut verborum scripturæ ac præceptorum, vita gratiæ continuatur, & vita gloriæ obtinetur, iuxta illud Deuteronomij. 8. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod egreditur ex ore dei. ] Cui noluerunt obedire patres nostri ] pro maiori parte eorum ac temporis, nam pene omnes & frequenter rebelles fuerunt
- Num. 14.** ] sed repulerunt eum ] verba eius spernendo ] & auersi sunt cordibus suis ] a deo & Moysē ] redeuntes ] mente ] in Aegyptum ] iuxta illud in Numeris : Constituamus nobis ducem & reuertamur in Aegyptum ] dicētes ad Aaron. Fac nobis deos qui præcedāt nos ] Putabāt namq; in idolis aliquid eē vitale ac intellectuale, & tñ q̄ stultum fuit hoc v̄bum. Si enim Aaron eis nō suffecit pro ducē, quomodo ip̄e potuit facere deos se ad ducē dñ̄ efficaciores ? nunquid sua causa est effectus præstantior ? ] Moysi em̄ huic q̄ eduxit nos de terra Aegypti, nescimus quid factū est ei ] .i. quid sibi cōtingerit. Hoc dicebāt qñ Moyses insolitā, moram fecit ī summitate mōtis Sinai cū angelo, qñ q̄draginta dieb⁹ ieiunauit & legem suscepit. ] Et vitulū fecerūt ī illis dieb⁹ ] Nā ad impunitā eorū instātiā & qñ coactionē Aaron, precit aurum in ignem, & ope furtio egressa ē vituli similitudo ] & obtulerūt hostiā simulacro ] sicut Exo. 32. habet. Surgētes mane obtulerūt holocausta et victimas pacificas ] &
- Exod. 32.**



lætabantur in operibus manuum suarum. .i. in idolatrijs vel sacrilegijs & præfato simulachro. .i. dicentes. Isti sunt dñi tui Israel, q te eduxerūt de terra Aegypti. Vñ p allegato fertur capit. Sedit popul⁹ me⁹ manducare & bibere, & surrexerunt ludere. [ Cōuertit autem de⁹ ] id est, in malum verti permisit, quemadmodum fertur in Psalmo. Conuertit cor eorum vt odirent populum eius [ & tradidit eos ] permissiue [ seruire militæ cæli ] videlicet, stellis & duodecim signis atq; planetis, q̄d quarto Reg. potissime sub rege Manasse fecisse leguntur [ sicut scriptū est ] de Iudæorum idolatria [ in libro prophetarum ] scilicet Amos quito, cuius liber p̄tinet ad totalem librum duodecim prophetarum, de quo Stephanus loquitur. [ Nunquid victimas & hostias obtulistis mihi in deserto quadraginta annis dom⁹ Israel? ] Circa hoc dicunt Hieronymus, Beda & glosa super Amos, quod ex eo tempore quo filij Israel adorauerunt vitulum aureum, vltra non obtulerunt hostias deo sed idolis. Et quæ deo obtulisse leguntur, non volūtate sed metu p̄narum ei obtulerunt, iccirco deus voluntatē magis quā opus aspiciens, non reputat illa sibi oblata. Alij dicūt q̄d imō vtiq; post id tēp⁹ alq̄ deo deuote sacrificia obtulerunt, videlicet in dedicatiōe tabernaculi, & consecratiōe Aaron filiorumque eius : pauca tamen deo sacrificia (vt isti asserūt) obtulerunt, q̄a sup sacrificijs offerendis deus p̄ Moysen dispēsauit cum eis, sicut & de circumcisionis dilatiōe, propter incertū motum nub. Et q̄a q̄ modicum est, p̄ nihilo computat, nunc dicitur non obtulisse deo victimas infra tempus, quo in deserto fuerunt. De his opinionibus plenius dixi super Amos. [ Et suscepistis tabernaculū Moloch ] .i. phanū idoli nomine Moloch amplexati estis affectu, & illud idoli coluistis, q̄d post īgressum terrę Chanaā fecisse legunt [ & sydus dei vestri Rēphā ] .i. stellam matutinā puta luciferum coluistis pro deo, ita quod sydus nomine Rempham fuit a vobis deus reputatus. Sicque sydus dei vestri sumitur hic intransitiue, vt idem designent, sydus dei vestri, & sydus quod est deus vester.

1. Cor. 10.

4. Reg. 21.

Amos. 5.



IN ACT. APOS. EXEG.

Hanc autem stellam multi idolatrarum ob eius venustatem adorant, secundum Hieronymum L figuras quas fecistis adorare eas. I. deorum istorum vestrorum imagines susceptis, quas vobis intentione adorandi eas fecistis L & transferam vos L per captiuitatem in vltionem tanti facinoris L trans Babylonem. Quid fuit dum decem tribus ductæ sunt in terras Assyriorum, & duæ in terram Chaldeorum: quia vero ad illas terras ducti sunt, seu circa Damascum & Syriam, cuius metropolis est Damascus: ideo Amos. s. scribitur: Transmigrare vos faciam trans Damascum. Itaque Stephanus. qui ad hoc sensum magis quam propheta allegat. Itaque in his verbis loquitur Stephanus. partim de idolatria in deserto commissa, & partim de ea que facta est in terra promissionis. Consequenter sanctus Stephanus templum volens laudare, a tabernaculo Moysi sumit exordium. L Tabernaculum testimonii. Quid Moyses per manus Beseel & Oliab fecit, in quo prophetarum testimonia & diuina suscepit oracula, in quo fuit archa testamenti, & ante cuius fores causæ sub testibus determinabantur, propter quod merito dictum est, tabernaculum testimonii L fuit cum patribus nostris in deserto. Nam illud secum tulerunt postquam completum fuit & dedicatum sicut disposuit illis deus, iubens ut inter eos maneret L loquens ad Moysen ut faceret illud. I. fieri iuberet L secundum formam quam viderat L in monte Sinai iuxta id Exodi. Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est L Quod induxerunt suscipientes patres nostri. I. tabernaculum istud secum sumentes L cum Iesu. I. videlicet Iosue, qui dictus est Osee, Iosue, & Iesus L in possessionem gentium. I. in terram Chananaeorum L quas expulit deus L pro occisione & fugam L a facie patrum nostrorum. I. tempore Iosue L usque in diebus David. I. mansit & fuit tabernaculum istud in terra prefata. David vero transtulit archam in ciuitatem Hierusalem. Ad tempus tamen fuit archa in terra Philistinum, sed hoc breue fuit L qui inuenit gratiam ante deum L quia deo acceptus fuit beatissimus David L & petiit ut inueniret tabernaculum deo Iacob L id est, deo Israel templum

Exod. 25

2. Reg. 6.



constituere posset in quo archa dei poneretur, vt patet secundo Regum. Vnde quod ait inueniret, intelligi potest inueniri faceret, vel licentiam ædificandi inueniret. Salomon autem ædificauit illi domum. Id est, templum, a cuius ædificatione fuit Dauid a deo prohibitus, quoniam multum effuderat sanguinem. Sed nõ excelsus in manufactis habitat. Id est, deus sublimis in ædificiis manufactis aut corporalibus nõ habitat, per aliquam circumscriptionem seu continentiam corporalem, cum sit spiritus simplicissimus, & immensus, habitat tamen ibi per misericordie suæ operationem, & suæ potentie ostensionem, In ecclesijs vero materialibus Christus quantum ad naturam assumptam veraciter continetur. sicut per prophetam dicit. I. s. Esaiam. Cælum mihi sedes est, terra aut scabellum pedis meum. i. a deo magnus sum imo immensus, vt hac metaphorica locutione id manifestem me nullo loco concludi. Quam domum ædificabitis mihi. i. nullam dignam habitationem corporalem meæ maiestatis contentiuam per circumscriptionem, mihi parare valetis. Aut quis locus requietionis meæ est? i. in nulla re extra me contineor quiesco, & circumscribor. Et si in alijs quiescere dicitur deus, hoc est per effectum, ipse vero in seipso quiescit, quia ipse sibi est finis, nulliusque eget, & in seipso plene beatus est. Hoc & Salomon templo suo constructo professus est, dicens. Si cælum (inquit) & cæli cælorum te capere nequeunt, quæto magis domus hæc quam ædificauit? Nonne manus. i. omnipotentia mea fecit hæc omnia? Ideo omnibus extat sublimior, nec indiget loco, sicut nec ante omnium creationem. Et nunc est vbi & tunc, quemadmodum tunc, vbi & nunc, nec in se aliquo modo est variata, sed prædicationum diuersitas est ex parte effectuum. Consequenter zelo æquitatis inuehitur contra iniquos, & legem fuisse diuinitus datam fatetur. Dura ceruice. i. mente indurata, sicut & Moyses in Deuteronomio ait. Durissimæ ceruicis es populus. Et rursus: Ego scio contentiõem tuam, & ceruicem tuã durissimã & incircu-

2. Reg. 7

Esai. 66.

2. Par. 2.

Dent. 9



IN ACT. APOS. EXEG.

cisi corde. In vicijis, ita quod vicijis pleni estis. & auribus. In verbis perfidiae. Propter quod Hieremias inquit Omnes gentes habent praeputium, omnis autem domus Israel incircuncisi sunt corde. Itemque Hieremias

**Hiere. 9.** Circuncidamini, & auferte praeputia cordium vestrorum. Vos semper resististis spiritui sancto. In eius instinctum non prosequendo, & verbis sanctorum ab ipso victorum contradicendo. Sicut & patres vestri. Quorum non solum carnis propagatione, sed & prauitatis imitatione filij estis. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Quasi dicat omnes, vel pene omnes sunt persecuti. Et occiderunt eos qui praenunciauerunt de aduentu iusti. Videlicet Christi, qui per excellentiam iustus vocatur, quippe in quo nulla vnquam iniusticia fuit, quia peccatum non fecit, nec

**1. Petr. 2.** inuentus est dolus in ore eius. Essentialiter quippe iustus fonsque iusticiae, secundum diuinam extat naturam. Omne autem peccatum iniusticiae quaedam est, secundum quod iniusticia opponitur iusticiae, quae est virtus communis, & omnis virtus. Non tamen vniversos prophetas interfecerunt, sed quosdam, vt Esaiam Ezechielem, Hieremiam, Amos, Zachariam filium Barachiae seu Ioiadae. Cuius vos nunc proditores & homicidae fuistis. Quia cum traditore eius fraudulenter de eius morte turpissima tractastis & per manus militum fecistis crucifigi eundem. O quanta fuit huius sancti viri constantia, quanta fidei fortitudo, quantus ardor amoris, quanta promptitudo ad moriendum pro Christo, quantus zelus iusticiae, quanta securitas atque tranquillitas mentis. Sed in his omnibus glorificetur artifex summus paracletus spiritus sanctus. In quo accepistis. In per Moysen. Legem. datam in Sinai. In dispositione angelorum. Id est per eorum obsequium deo principaliter conferente. & non custodistis. Ineam. Ex hoc elicitur quod in datione legis plures angeli visi & obsecuti sunt, quis de vno tanquam de principali factat Moyses mentionem. Vnde ad Galatas ait Apostolus.

**Galat. 3.** Lex ordinata est per angelos in manu mediatoris.



[Audientes autem hæc] verba iustę increpationis, &  
 rationabilis excusationis, victoriosę que informatio-  
 nis [dissecabantur cordibus suis.] .i. varijs modis se-  
 cabantur, & intra se quasi diuidebantur ac rumpeban-  
 tur, quemadmodum mala olla in igne posita crepit &  
 exilit, quia superbi, impatientes, & incorrigibiles e-  
 rant. Quorum petuerfitatem atque insaniam multi se-  
 quuntur, qui dura ceruice arguentem corripunt, & q̄  
 rationabilius conuincuntur, eo plus irascuntur & in-  
 dignantur [ & stridebant dentibus in eum.] ita quod  
 instar rabidi canis mentis furorem forinsecus ostende-  
 bant. [Cum autem esset Stephanus plenus spiritu san-  
 cto] in cuius donis & sancto feruore in toto isto con-  
 fectu mirabiliter creuit & gratiæ plenitudo in marty-  
 rio (quod est actus charitatis) specialiter augmentatur  
 [intendens in cælum] oculis mentis & corporis tan-  
 quam ad desyderatissimam patriam quam fuit mox in-  
 gressurus [vidit gloriam dei] ita quod beatitudinem  
 & mercedem sibi paratam deus sibi ostendit prægusta-  
 reque fecit [ & Iesum stantem a dextris virtutis dei.]  
 Verba ista pensando, videor mihi audire tonitruum.  
 Quis enim huius beatissimi martyris excellentiam di-  
 gne miretur, quis huius visionis magnificę exprimat  
 qualitatem, quis demum in hac re diuinę maiestatis  
 pietatem satis collaudet. Itaque vidit gloriam dei .i. de-  
 um gloriosum, seu felicitatem, maiestatem & excellen-  
 tiam eius. Sed quomodo vidit? Per fidem an per speci-  
 em? Et dicunt nonnulli quod pro morula illa vidit de-  
 um per speciem seu diuinam essentiam clare, sicut bea-  
 ti in patria. Quemadmodum datum est Moyfi & Pau-  
 lo videre deum per speciem in hac vita, secundum Au-  
 gustinum. Verum contra hoc alij satis apparenter ob-  
 iiciunt, quod deus ait ad Moysen Non videbit me ho-  
 mo & viuet. Circa quod dicant doctores communiter, **Exod. 33.**  
 quod nullus in vita præsentis viuens vita humana, ut-  
 pote sensibus vtens corporeis, possit videre deum per  
 speciem, sed ab omnium organicarum virium operati-  
 one & vsu suspendit. Steph. autem hæc videns sensibus



IN ACT. APOS. EXEG.

Actualiter utebatur loquens Iudæis . Hinc alij dicunt, quod gloriam dei vidit visione imaginaria, quemadmodum Esaias . Ezechiel, & Micheas . Ioannes quoque in Apocalypsi, & Daniel . In quorum omnium imaginaria virtute fuit per angelum effigies quædam formata, diuinæ maiestatis repræsentatiua . Cæteri dicunt, quod effigies huiuscemodi corporalibus oculis sancti Stephani fuit obiecta, sicut Ioannes baptista vidit spiritum sanctum in forma columbæ . Diuina autem virtute potuit tale quid extra formari, & in cælo consistens visum Stephani immutare . Sed quoniam iuxta sancti & diuini Dionysij documenta, visio dei anagogica extat sublimior quam symbolica . Imaginaria autem visio ad symbolicam pertinet . Potius reor quod visio Stephani fuit anagogica, pura, & intellectualis sine admixtione fantasmatum, quomodo etiam sanctus Dauid diuinas habuit visiones, secundum doctores . Visio quoque Stephani medio modo se habuit, inter visionem viæ per fidem, & patriæ per speciem, eratque per splendidissimam quandam irradiationem increatæ æternæ lucis in superiori parte animæ eius, imo in apice intellectus : sicut in contemplatione mysticæ Theologiæ seu vnitivæ sapientiæ fieri solet . Insuper qualiter Iesum in forma humana vidit . Dicunt quidam, quod visus Stephani diuina potentia sic fuit confortatus, quod sua acie cælos penetrans vidit Iesum in cælo empyreo . Sed cum visio fiat intus suscipiendo, magis quam extra mittendo, alij astruunt quod corpus Christi visum Stephani immutauit . In potestate etenim Christi est vt corpus suum faciat videri a longe sicut de prope, Imo cum corpus glorificatum plene subiectum sit animæ suæ, in potestate animæ gloriosæ est, vt ad libitum eius corpus suum aliorum visum immutet, vel non immutet . Visus est autem Iesus stare a dextris virtutis dei, qui est sua virtus ac fortitudo, seu omnipotentia . Et quia sedere est regnantis ac imperantis, stare autem pugnantis & adiuuantis, Marcus euangelista Mar. 16 scribit Christum a dextris dei sedentem, & Stephanus



vidit hunc stantem. Nam Iesus pro milite suo pugna-  
 uit eumq; adiuuit. **L** Et ait: Ecce video cælos apertos. **L**  
 Hoc intelligendum est eo mō q̄ in Christi baptismo cæ-  
 li leguntur apti, non utiq; q̄ incorruptibilia illa cor-  
 pora sint fracta siue diuisa, sed qm̄ intuentis oculum  
 ab aspectu habitantis in cælo non impediabant, & for-  
 sitan sancto Stephano aperti apparuerunt, ob lucis cu-  
 iusdam corporeæ emicationem, desup a corpore Chri-  
 sti radiantem, sicut in magnis coruscationibus cæli a-  
 periri videntur **L** & filium hominis stantem a dextris  
 virtutis dei **L** in quo omnium martyrum animata &  
 roborata sunt corda, omniumq; fidelium fortificata ē  
 fides non parum. **L** Exclamantes autem voce magna  
 continuerunt aures suas **L** ne verba sua aestimatione  
 blasphema audirēt, zelum dei se habere simulantes, e-  
 iusq; iniuriam quasi perpeti non valentes, sed ipsi tan-  
 quam filij falsitatis obsruxerunt eas veritati tam sub-  
 limi ac sanctæ **L** & impetum fecerunt vnanim iter in  
 eum **L** .i. pari malicia. Non enim ex charitate, sed ex in-  
 fidelitate vnanimitas illa, pcessit. **L** Et enīcantes eū ex-  
 tra ciuitatem lapidabant **L** in q̄ se legem seruare puta-  
 bant, secundum q̄ blasphemi lapidandi erant extra ca-  
 stra. **L** Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pe- **Leu. 24**  
 des adolescentis q̄ vocabatur Saulus. **L** Isti fuerunt tes-  
 tes mendosi, q̄ Stephanum de blasphemia accusauerūt  
 & primi contra eum lapides iactauerunt. Nam p̄ Moy-  
 sen dñs iussit, vt manus testium prima esset super eum  
 q̄ fuerat lapidandus. Deniq; vestes suas exuerunt ne **Deut. 17**  
 tactu illius ingnarentur, & item, vt expeditiores essent  
 ad fortiter p̄sciendum, atq; celeriter occidendū. Ado-  
 lescens vero hic, postea dictus est Paulus, q̄ aliorū ve-  
 stes custodiens, quasi oīm manibus lapidabat. **L** Et la-  
 pidabant Stephanum inuocantem & dicentē. Dñe Iesu **Luc. 23.**  
 suscipe spiritū meū. **L** Sic & Ch̄s dicebat. P̄ in man⁹ tu-  
 as cōmendo sp̄m̄ meū. **L** Positis aut̄ **L** .i. flexis **L** genib⁹  
 clamauit voce magna **L** ga ex magno & intimo charita-  
 tis affectu, & ex cōpassione errantiū **L** d. Dñe ne statu-  
 as **L** .i. ignosce **L** illis hoc peccatū. **L** Ecce pro se stans,



## IN ACTA APOS. EXEG.

pro interfectores suis, & interfectores tam crudelibus genua flectens orauit. In quo mira ipsius patientia & perfecta charitas declaratur, & quod superiora verba, non ex aliqua inordinata auersione, sed ex zelo iusticie atque amoris magnitudine protulit. Secutus est autem Stephanus documenta & opera Christi tam sublimiter & conformiter implens quod docuit Christus. Orate pro persecuentibus & calumniantibus vobis, & sequens quod egit in cruce, pater inquitens ignosce illis. Sed nunquid tam sanctissima oratio Stephani poterat esse infructuosa? Nequaquam. Imo eius virtute Paulus creditur illustratus. Et cum hoc dixisset obdormiuit in domino. Nam de corporis occisione, perrexit ad quietem dulcissimam patrie, & feliciter prorsus obdormiuit in domino, qui eum in suae immensae claritatis assumpsit, demersit, absorbitque abyssum. Saul autem erat consentiens neci illius tanquam persecutor ecclesie, iccirco princeps culpe, secundum quod ipse postea docuit, quia morte digni sunt, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Mat. 5.

Luc. 23.

[Rom. 1.]

¶ Explanatio capituli octauis. Facta est autem.

### Articulus octauis.

Facta est autem in illa die qua lapidatus est Stephanus. Persecutio magna in ecclesia quae erat Hierosolymis. Stephano namque qui post Apostolos fuit vnus de primis in fratribus tanquam blasphemus extincto succensus est furor perfidorum Iudaeorum contra conuersos ex iudaismo, coeperuntque persequi eos atrociter & omnes discipuli, vel pene omnes seu notabiliores & famosiores dispersi sunt. Egrediendo Hierosolimam, per regiones Iudaeae scilicet, duarum tribuum & Samariae id est, decem tribuum praeter Apostolos qui tanquam dominici gregis arietes fuerunt constantiores, imo in hoc Christi doctrinam sunt imitati.